Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26158
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ne rogans. Vnde hoc. Petite ⁊
accipietis. pulsate ⁊ aperietur. Oratio
petit. meditatio pulsat. Pe
tite oratione. pulsate medita
tione. Et erit tamquam lignum.
Tres sunt paradysi. tres incole.
tria ligna uite. Primus terrestris.
cuius incola est primus adam. secundus fi
delium. scilicet ecclesia sanctorum. quam funda
uit ⁊ inhabitat christus. tercius celestis.
scilicet ecclesia triumphans. quam inha
bitat deus. In primo est lignum ui
te. arbor mala. in secundo hu
manitas saluatoris. in tercio
tota trinitas.
Nota. Homo arbor fuit
in meditatione. folium in temp
tatione. stipula in deiectio
ne. Vnde iob. Contra folium quod uen
to rapitur ostendis potentiam tuam. et stipulam
siccam persequeris. Sed fuit arbor in meditatio
ne. vnde dicitur: Et erit tamquam lignum.
quod plantatum est secus decursus aquarum. Spiritus sanctus dicitur aqua.
propter tria que facit aqua. Sic ⁊ spiritus sanctus.
quia aqua refrigerat. sic ⁊ spiritus sanctus.
Vnde hoc. Spiritus sanctus superueniet in te.
⁊ uirtus altissimi obumbrabit tibi. Et quia satiat. vnde
hoc. Aqua salutaris potauit eos.
Et hoc. Qui sitit ueniat ad
me ⁊ bibat. Et propter liberum
cursum. Vnde hoc. Spiritus ubi uult spirat.
⁊ hoc. Exultauit ut gygas ad
currendam uiam.
Nota. In psalterio non
fit initio de adam. non per remotio
nem. Quidam moriuntur in peccatis.
vnde hoc in peccatis moriemini.
quidam pro peccato scilicet originali. nam
⁊ mortem ⁊ eos defectus habemus pro
originali peccato. quidam a peccato.
scilicet qui recedit a peccato. quidam mori
untur cum peccato. Labor est in ingressu.
in progressu. in egressu r su.
Ideo non resurgunt impii in iudicio.
Est quadruplex resurrectio. due
in presenti. scilicet anime. due in futuro.
corporis. scilicet resurrectio in fide
⁊ ad fidem. resurrectio ad tormen
tum ⁊ ad gloriam. Resurrectio ad
fidem. id est ad habendam fidem. quam non
habebat ut infidelis. Vnde hoc.
Omnes sitientes uenite ad aquas.
Resurrectio in fide. vt qui non credens
incipit fieri bonus. Vnde hoc. Si frater
tuus peccauerit in te. dimitte
ei. usque septies non dico. sed usque
septuagies septies. Resurrectio ad
tormentum malorum. ad gloriam bonorum.
Ad resurrectionem anime tria sunt ne
cessaria. scilicet mali uitatio. Vnde
hoc. Declina a malo ⁊ fac bonum.
Melioris boni adeptio. Vnde hoc.
Dominus uolenti sepelire patrem.
precepit sequi se. quia hoc fuit melius.
quam sepelire mortuum. Et hoc apostolus.
De uirginibus non preceptum domini. consi
lium autem meum est. vt sic maneat.
obedientie subiectio. Vnde dominus Petro.